

5.

1265. März 19. Papst Clemens IV. trifft Anordnungen über die Losprechung derjenigen Prälaten, welche den Zehnten zum Zuge gegen Sicilien zu zahlen verweigert haben, welcher nur von den Carthäusern, Cisterciensern und den drei geistlichen Ritterorden nicht gefordert werden soll, und deshalb mit dem Banne belegt worden sind.

Clemens episcopus servus servorum dei, dilecto filio G. tit. sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster decimam omnium proventuum ecclesiasticorum in regno Francie et quibusdam aliis terris pro expeditione negotii regni Sicilie sub certa forma mandavit colligi et dilecto filio nobili viro Carolo Andegavie et Provincie comiti ad persecutionem eiusdem negotii assignari. Verum sicut accepimus, quidam illarum partium archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum et monasteriorum prelati, capitula et conventus, pretendentes, quod ipsi non consenserint in exhibitione huiusmodi decimarum, et quedam alia proponentes, decimas proventuum suorum ecclesiasticorum solvere contradicunt et propter hoc dicuntur ad sedem apostolicam appellasse. Cum autem nobis cordi sit, predictum negotium efficaciter divina favente clementia prosegui et ideo nolimus predictos archiepiscopos, episcopos, prelatos, capitula et conventus et quoslibet alios, cuiuscunque conditionis, dignitatis vel ordinis fuerint, Cisterciensium, Cartusiensium, domorum militie Templi et Hospitalis Jerosolimitani et sancte Marie Theutonicorum ordinum fratribus dumtaxat exceptis, quos super hoc impeti nolumus seu aliquatenus molestari, donec de ipsis aliud duxerimus ordinandum, ut decimas ipsas iuxta huiusmodi formam ipsius predecessoris non obstantibus propositionibus huiusmodi et appellationibus quibuscunque aut si eis sit a predicta sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive quibuslibet aliis indulgentiis seu privilegiis eis ab eadem sede sub quacunque verborum forma concessis, que ipsis in hac parte in aliquo suffragari nolumus, cum integritate persolvant, monitione premissa per te vel alium aut alios auctoritate nostra appellatione remota compellas. Ceterum ut non solum contumacium excessus compescere, sed et obedientium humilitati valeas realiter providere, presentium tibi auctoritate concedimus, ut interdicti, suspensionum et excommunicationum sententiis, si quas contra predictos archiepiscopos, episcopos, prelatos, capitula, conventus et alios forsitan protulisti, quoad eos et eorum ecclesias ac monasteria, qui circa solutionem predictarum decimarum mandatis tuis paruerint, sine difficultate qualibet relaxatis cum ipsis super irregularitate, si quam huiusmodi legati sententiis se immiscendo divinis forsitan contraxerunt, apostolica auctoritate dispenses. Dat. Perusii 14. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

Malta, Joh. Ord.-Archiv X, 17.